



**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

LV. Magdalena sub Cruce acu pingit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Febris anhelat opem, rabido furit ore phrenesis,  
 Quà Dominum cingunt æger & agra latus.  
 Ille furens admordet, amans hæc mulcet I E S V M:  
 Hæc medicum portat munus, & ille probrum.  
 Nil tamen vnca moror crispi conuitia nasi,  
 Quæque Lycambeo vulnera dente tument.  
 Scriba fero morsu si vulnerat asper I E S V M;  
 Prudentia Diua crocum, quo medeatur, habet.

## L I V.

*Medicina è nardo & tactu pedum.*

S V R G I T Erythræis lux o signanda lapillis,  
 Quæ grauis euerrat nubila dira necis.  
 Fortè nigras venas si pestifer exedit ardor,  
 Qualis Auernali de face flamma flagrat;  
 Iam tibi funesto leti diu puluere squallens  
 Sol comet radio nobiliore caput.  
 Tu, cui dira putres violent contagia venas,  
 Tange Deum: tacto Numine vita fluet.  
 Balsameis succis, semperque recentibus herbis,  
 Lesseidæ floris succida planta viret.  
 Sicca Syræ si dat pedis umbra, vel aura salutem;  
 Isacidi an medicam pes neget vñctus opem?

## L V.

M A G D A L E N A sub Cruce acu pingit.

M A E O N I S ut virgo vario de flore colorum  
 Picta sub obliquâ vela figurat acu:  
 Magdala sic tristi dum sub trabe sedit in umbrâ,  
 Lugubre sanguineæ mortis adumbrat opus.  
 Detra-

Detrahit illa peplum, stillantē sanguine peplum,  
 Detra&tumque cauā pandit vtrimeque manū.  
 Iamq; crucem texit manus æmula mima doloris.  
 Pro radio, telam spina cruenta notat:  
 Quæ dum purpureo rubet ac madet ebria succo,  
 Sanguine quo pingit, sindona pungit acus.  
 Sic docili lino lacrymans intexit I E S V M  
 Magdalís, vt mortis textile viuat opus.  
 Quæ quoties oculi radio pepla tristia signat,  
 Gemmatis toties flens ea pingit aquis.

## L V I.

*Imago MAGDALENAE sub Cruce  
lacrymantis.*

I M A G I N O S v s artifex  
 I Amor, dolentem Magdalin.  
 In fontis vndas verterat;  
 Sed ars Apellis Dædalo  
 E fonte reddit Magdalín.  
 Vbermis iam lacrymis  
 Manat quadrâ sub arbore.  
 Vah quam deerro ab ianuâ,  
 Totoque cælo deuius!  
 Dum sic cruentum stipitem  
 Tot lacrymosis riuulis  
 Mœror perennans imbuit;  
 Heu ruris vndâ pristinâ  
 Est quod fuit, fons Magdalís.

MAGDA-